



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 7. Politia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

discretenta est, vt tradit *Strabo lib. 9.*

Non licebat hîc Ciconias interimere, quoniam regionem à serpentibus purgant, inquit *Stephani Epitomistes.*

Thessalis πολυφαγίας veteres omnes exprobrarunt, & turpissimam ingluuiem. Quare abiere in Prouerbum *καπανιγία*, hoc est *plaustralia frustra*, & Thessalia dicta est *ἐνθεσις*, hoc est *grande frustum*, ob carnes, quas in magna frustra & tricubitalia diuidebant. Vino deditissimos fuisse, innuunt Lapithæ, quorum conuiuia tumultus & rixarum plena, dederunt Parœmiæ locum. Quàm luxuriosi fuerint docet Laïs Meretrix, cuius vestibulum vino conspergere soliti erant, idcôque à Matronis Thessalicis interempta est.

Fraudulenti, & dolosi apud vicinos audiebant. Homerum popularem suum fuisse contendebant.

Præcipuos inter nobiles *Alcæades* appellabant. Equestrem militiam magni faciebant: Aciem in Rhombum efformabant, qui inde Thessalicus dictus est. Inuenisse equo fræna perhibentur Lapithæ. Centauri verò tam aptè equis insisterunt, vt eques cum equo vnum corpus constare videretur, vnde fabulæ de semiferis locus.

Pueri nobiles hîc deuouebant crines suos fluminibus, vt Achilles Sperchio.

Mancipia sua *Penestæ* appellabant: sed hi Penestæ plerumque dominis suis fuere ditiores, de quibus lege Aristot. 2. Polit. cap. 7.

NUM. 7. Politia.

NON est facile expedire antiquum Thessaliæ statum politicum, vtpotè fabulis implicatissimum, de quo pugnantia leguntur multa. Quis enim hîc quidquam certi statuatur de Admeti regno cuius greges paut extorris Apollo? quis de Iasone, Pelia, Achille, vt prætermittam Phlegiam, Ixionem, Salmoneum.

Thucydides lib. 4. ait Thessalos ex patrio instituto *δυναστία* potiùs, quàm *ισονομία* vsos esse. Et lib. 1. meminit Orestis filij Echecratidæ Thessalorum regis. Postea tamen instar Græcorum videntur in varias distracti Resp. vt colligitur ex 6. Hellenicæ Xenoph. Quando qui præerat urbibus *Τάγος* dicebatur, & ille *πρωτεύου* regere *Reipublicam*. Demùm Iason Tyrannidem occupauit, & exinde mutauere Tyrannos sæpe, non extinxere Tyrannidem Thessali; donec *Alcæades* Philippum Alexandri patrem



euocarunt, à quo primùm libertate donati, eâdem postmodum exuti sunt. Restitere tamen donec Alexander Magnus Theſſaliæ Princeps electus regionem hanc ſceptro Macedonico adiunxit. Deuiſto autem Perſeo Rege in prouinciæ formam cum Macedoniâ tranſiit.

§. 3. *Epirus.*

N V M. I. *Nomen.*

*Ἐπειρος*, vt vulgò ſcribitur, aut *ἠπειρος*, vt vult Stephanus, *continens*, quaſi *ἀπειρος interminata*, propriè ſumitur apud Homerum, vt ait Euſtath. in 2. Iliad. pro eâ regione quæ eſt vltra Ithacam, & Cephalleniam. Olim quoque dicta eſt *ORICIA*, vt tradit Dionyſius Afer ab Orico vrbe, & portu. Item & *DODONA* à Thraſybulo Historico aſſerit Homeri Scholiaſtes, à Dodone Iouis filiâ, nomine mutuato.

N V M. 2. *Populi.*

*MOLOSSI* primi populi huius tractus, à quibus & dicti canes ferociſſimi, quorum veteres meminere.

*CHAONES* gens Thracia, & Barbara, vt ait *vetus interpres Ariſtophanis*: vel vt ait *Ariſtoteles* in Politicis ab Oenotriis populis originem traxere. Ab *hiando* ſortiti ſunt nomen, vt *interpres Ariſtophanis* aſſerit.

*THESPROTII* ita dicti à Theſproto Laocoontis filio. A Lycoſphrone, Alexander M. Theſprotius appellatur, ab Olympiade matre Epiroticâ.

*AMPHILOCHI* nomen accepere ab Amphilocho filio Alcmaonis. Apud eos defluebat fluuius Inachus in Ambracium ſinum cadens, aut vt volunt fabulæ in Argiam arcanis cuniculis ſubiens in Inachum Argium.

*ACARNANES* olim in Pleurone vrbe Ætolix habitauerunt Homero teſte, atque ita dicti quòd crinibus intonſi eſſent. Quia Curetes ex Eubœâ crines anteriores deponerent, ne caperentur ab hoſtibus: & cùm hi Curetes in Ætoliam tranſmigrarent, vicinos ſibi populos Acarnanes nuncuparunt. *Pauſanias* tamen ab Acarnano Heroë dictos contendit: Stephanus autem & Plinius Acarnaniam priùs dictam eſſe *Curetum*. Euocati ſunt Acarnanes ab Amph-

phi-